



Generationis natura eiusque ordo adeo admirabilis est plane & diuinus, supra quam quispiam cogitatione capere, aut mente complecti possit, inquit Harueus (a). Cum enim res naturales ex principio inuisibili; atque adeo ex minimis, quae sensibus obuia non sunt, ortum suum ducant, origines earundem obscurae admodum sunt, circa quas in sententias diuersissimas abeunt Philosophi. Atque haec opinionum varietas, & difficultas circa ipsum mineralium ortum, corporum licet simplicissimorum, & in quibus exiguus adest vel nullus plane organorum apparatus, satis est euidentis: Omnis vero circa rem istam dissensus, ad duas potissimum classes, mea quidem sententia referri potest, eorum scilicet, qui metalla immediate creata esse, cum Cartesio statuunt, & eorum, qui quotidie in terrae visceribus illa generari volunt. Docebat quippe Magnus hicce Philosophus, metalla, corporum omnium grauissima, in prima creatione, terrae centrum occupasse, vnde id ipsum metallicum prorsus esse statuit: resolui vero deinde corpora haec durissima vel per Mercurium, vel succos minerales acidos, atque cum exhalationibus metallo impraegnatis & grauidis, calore ignis subterranei eleuari, & per terrae poros ad extimam eius superficiem ferri, & in venas metallicas concrecere. Rectius autem sentire videntur illi, qui, quamuis concedant, interiorem & centram terrae partem metallicam forte esse posse, generari tamen in hac superiore eius regione ipsa metalla existimant, & quidem ex suis seminibus, sulphure & Mercurio, non Philosophorum, sed vulgaribus, diuersimode mixtis & fixatis, id quod obseruationes plurimae, in ipsis mineris saepius occurrentes satis confirmant (b), recentiorumque experimenta ad oculum quasi demonstrant. Quin & ipsi lapides per modum quendam generationis produci vix dubitaverim, & alios quidem ex fluido principio, in perfectam soliditatem concrecere ostendunt crystallus, gemmae: alii vero opaci ex particularum terrestrium, arenosarum, limosarum, glutinosarum coalitu originem suam habent, & vel in aquis, vel terrae superficie, vel in huius visceribus germinant & incrementum capiunt. Loquuntur id ipsum, velut tot testes muti, gibbosae camporum nostrorum eminentiae, magno agmine in incultis eorum locis hinc inde conspicuae; talparum operas diceres, sed aliud suadet accuratio eandem inquisitio: sunt enim lapides arenosi, in terra geniti, successi-

(a) Exercitat. 70. 1. (b) Boyle Chemist. Scept. pag. 6.